

Z 6  
1923







RECTORE  
 ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
 MAGNIFICO  
**DANIELE  
 WILHELMO  
 TRILLERO D.**

SERENISSIMO PRINCIPI REGIO  
 POLONIAE ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS  
 AVLAE PROFESSORE MEDICINAE PRIMARIO  
 ET ILLVSTRIS ACADEMIAE BONONIENSIS  
 SODALI

MEMORIA  
**CAROLI SIGISMVNDI  
 FRANCKII**

VITEBERGA SAXONIS  
 I. V. D. ET VIRI QVONDAM ILL. SERENISSIMI  
 PRINCIPIS ANHALT. SERVEST. A CONSILIIS AVLAE  
 ADSESS. IN CAMERA COMMISSAR. VECTIGAL.  
 RER. PROMERCAL. ET QVINQVE PRAEFE-  
 CTVRARVM DIRECTORIS

A. D. XXIII. DEC. A. R. S. CIOIOCC LXIII.  
 BEATO OBITU E VIVIS SVBLATI

**FAMILIAE**  
 ET PROPINQVORVM PRAESERTIM VITEBERGAE  
 SVPERSTITVM  
 CVRA ET PIETATE SERVATA



VITEBERGAE  
 PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
 ACADEMIAE A TYPIS.



RECTORE  
ACADEMIAE VITBERGENSIS  
MAGNIFICO  
DANIELE  
WILHELMO  
TRILLERO D.  
SERENISSIMO PRINCIPIS REGIO  
POTONAE ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIS  
AVLAE PROFESSORIS MEDICINAE PRIMARIO  
ET ILLVSTRIS ACADEMIAE BONONIENSIS  
SODALI

MEMORIA  
CAROLI SIGISMUNDI  
FRANCKII

VITBERGA SAXONIS  
I. V. D. ET VIRI QVONDAM ILL. SERENISSIMI  
PRINCIPIS ANHALT. SERVET A CONSILIS AVLAE  
ADRES IN CAMERA COMMISSAR. VECTIGAL.  
RER. PROMERCAE ET QVINOVE PRABE.  
QTVARVM DIRECTORIS  
A. D. XVII. DEC. A. R. S. CXC. CC. XLII.  
BEATO ORTV F. VIVIS SVBSTITI  
FAMILIAE  
ET PROPINQVORVM PRAESERTIM VITBERGAE  
SVPERSTITVM  
CVRA ET PRIBATE SERVATA

VITBERGAE  
PREFO ENHEIM GOTTLOB RICHARDI  
ACADEMIAE A VITIS

VITBERGA  
ACADEMIA





ihil manifestius, docet diuina prouidentia mundum hunc regi, quam varietas commerciorum, quibus tot societates hominum, infinitis licet terrarum spatiis et locorum interuallis diuisae, ad mutuae vtilitatis rationem coniunguntur. Eorum quaedam diuersarum regionum naturalibus bonis communicandis exerceantur; alia foederibus gentium vigent; alia ipsa religione contrahuntur; neque defunt, quae ex elegantiarum studio peregrinantibus tribuas. Nullum tamen pulcrius, honestius, salutaris reperias, quam quod litterarum ope ingenii sic intercedit, vt nec diuersitate religionum, institutorum, morum, neque vi, inimicitii, bellicis, odii nationum, et ne fortunae quidem vilo imperio vel fato, adimi aut diuelli posse videatur. Quodnam enim diuinius munus oblatum nostro generi duces his artibus, quarum cultus, quoquo penetrauit, occultis illecebris animos trahit, vt amico rationis et virtutis inuicem confortio iungantur? Gustatis semel harum delicias gentes humanae ad societates longinquas et cum ignotis inuicem sollicitantur, non vt lucra reciprocet, aut quaestus commeatuum immensis spatiis amplificent, sed vt felicitatis inter se instrumenta communicent. Ita fit, vt communi quodam sapientiae imperio regantur et contineantur, qui origine, linguis, moribus, institutis differunt, aut discordantibus etiam et infestis inuicem dominis parent. Quid quod ne conditionis quidem hominum disparis respectus hos humanitatis, vt ita dicamus, per orbem terrarum cursus prohibet, dum inter omnia etiam armis et munimentis clausa viae artibus atque litteris, reuerendum inter populos caduceum praeferebant, patent. Quid dicamus, quoties magnis imperatoribus vel regibus homines tenues, externos, nec alia re, quam studiis, insignes amor doctrinae conciliauerit, vt suae munificentiae et liberalitatis longe vberimum demum fructum non ex immortalitate solum nominis inde parta, sed ex felicitate quoque populi, quem talibus magistris erudiendum et ad virtutes formandum tradiderant, ceperint? Exempla antiquitatis non proferemus, quum recentiora saecula, quibus literae reuocatae sunt, abundant longe plurimis, e quibus discas, quam necessaria imperantibus haec sit cura, ne potentiam omnibus aliis rebus armatis, sola ruditas eorum, quorum consilii et opera illa tuenda est, exarmet. Maximilianus I. imperator, vbi imperium intestinis pariter malis et externis obnoxium insidiis accepisset, et in hereditariis terris, satis, quod ageret, inuenisset, quot curis, laboribus, periculis tota vita exercitus fuerit, inter omnes constat. Quis huic vacandi studiis suppetuisse tempora, aut eruditos praefereendi armatis animum, credidisset? Idem tamen, vt alter Augustus Octavianus ob honorem studii habitum diceretur, meruerat; idem interioris admissionis cohortem e viris literatis



teratis conscripserat totam; idem, instaurata Viennensi academia,  
 ad alias condendas inductis Germaniae principibus, instructa bi-  
 bliotheca, comparatis artium praesidiis, largè distributis praemiis  
 et honoribus, eruditionem ipso receperisse folio: et vestiuisse pur-  
 pura vere iudicatus erat, vtque communi patriae passim adcla-  
 maretur, tuus iam regnat Apollo, effecerat. Quis Franciscum  
 I. Galliae regem, tot arduarum rerum molitionibus, tot perti-  
 nacium odiorum caussis et ambiguis bellis implicatum, necesse  
 cognomen Parentis litterarum obtinuisse; quod et doctissi-  
 mos in toto regno homines administrandis rebus praefecerat, et  
 ex aliis gentibus, quicumque doctrina excelluerant, ad se euoca-  
 uerat, et tot nouos in Parisina Academia professores liberalium  
 artium constituerat, et recreando post curas animo non incun-  
 diora aeraamara, quam disputationes clarorum in artibus viro-  
 rum, adhibuerat? Quis vero enumeret, quot ex illo tempore in-  
 crementa ceperit res litterata, non commercii tantum, sed et ci-  
 uitatis iure vniuersam per Europam donata? Quis societates  
 ignorat, diuersis in regnis constitutas, in quas recipiuntur, nullo  
 nationum discrimine, alienae etiam ditioni subiecti, quicumque  
 ad ingens istud et immensum litterarum commune, omnium re-  
 gionum finibus capacius, ob bene merita admittendi censentur?  
 At enim, cuiam eruditionis recipiendae, alendae, propagandae,  
 instituto maior laus, quam academijs nostris, quae tam auspi-  
 catorum generis humani commerciorum florentissima emporia  
 sunt. Haec plane sunt rei publicae, sapientiae melioris ope for-  
 tunatae, seminaria, sic videntur, vt nullius tempestatis vi aut no-  
 xia, extirpari sacrae Musis memora possint. Harum cuiuslibet sum-  
 mae est gloriae, suae patriae formatos ad artium decora produ-  
 xit, et publicae vtilitati institutione futurorum ciuium aut ad-  
 ministratorum eius subseruisse. Sed haud paulo sublimior laus  
 est, plures etiam numero alienis terris lumen adlaturos e gremio  
 dimisisse. Huius certe Vitebergensis academiae, quae inde a cu-  
 nabulis existimatio et fama fuerit, e teste integerrimo et locu-  
 pletissimo Bilibaldo Pirckeymero cognoscere iuuat, qui, *Quam  
 enim, scribit, maiorem, firmiterem, et honestiorem sui memorians*  
**MAGNVS ILLE ROMANI IMPERII ELECTOR FRIDERICVS,**  
**SAXONIAE DVX INCOMPARABILIS,** *relinquere potuisset, quam  
 talem, tamque egregiam, Academiam erigere, quae etiam cum pri-  
 scis illis contendere, praesertim vero nulla inferior, plurimam esse  
 superior? Siquidem coeli quis stellas antea numeraret, quam tot  
 doctissimorum virorum merita, praeconia celebrare possit. Hoc nulla  
 non memorandum aevo, primos fuisse Wittenbergenses sapientes, qui,  
 post tot saecula, oculos aperire, verum a falso dignoscere, et deprau-  
 atam philosophandi rationem a christiana theologia discernere ince-  
 perint.* Haec Pirckeymer ea aetate, qua Philippus Melanchthon  
 omnis bonarum artium mercaturae magnus antistes, duo millia  
 vel tria auditorum numerabat; quod non est fabula, sed res pu-  
 blicis



blicis monumentis testatissima. Nunquam inde defuere, qui ex hac frequentissima studiorum inter Saxones metropoli in omnes partes Europae dimitterentur, et comparatas doctrinae diuitias aliis regionibus inferrent. Multi Principes et Proceres non Saxonica modo in aula, sed in tota passim Germania, Polonia, Hungaria, Dania, Suecia, a ducētis sexaginta, et quod excurrit, annis, quam salutaris et frugifer bonae mentis atque honestae doctrinae mercatus Vitebergae celebretur, docuerunt. Eorum vero, qui formata et consummata non alibi studia in aulis principum et in splendidissimis rei publicae muneribus per varios locos expromferunt, quis aut numerum inear, aut nomina recenscat, quamuis multum honoris litterarum interesset, vt memoria horum omnium fuisse consuata.

Vixit et rebus humanis a. d. X. Kal. Iani. excessit, Vitebergae indigena, Academiae alumnus et diu ciuis; CAROLVS SIGISMUNDVS FRANCKIVS; Vir Ill. et amplissimus; qui laudibus, in patria partis, vt alio ad splendida et honorifica ministeria obeunda, quorum paullo post ordinem persequemur, euocaretur, adsecutus, a necessitudinibus, quas reliquit in lectu, quaeuis pietatis officia iustissime emeruit. Pater SAMVEL FRANCKIVS, Regius reddituum praefecturae Vitebergensis, et vectigalium e viarum comiteatu atque cursu publico procurator, e DOROTHEA ELISABETA, GEORGII ROEDERI, senatoris Misnensis filia, matrona ornatissima, Vitebergae prid. Id. Sept. A. S. R. c 1515 cc LXVIII. ipsum susceperat. Educatus in teneris annis sollicito, igniculis ingenii ostentis, traditus est magistris, qui in religione et litterarum rudimentis docilem et morigerum ad XIII. annum sollerter instituerunt. Tum vero Torgauam publicum in litteratum ludum missus, a moderatore eius Fecone elementa reliqua litteraturae et humanitatis accepit, donec receptus in illustrem scholam prouincialem Misnensem vberiore profectu ea excoluit, per quae ad grauiora studia adolescentes praeparantur, et Stubelii praesertim rectoris et professoris, quem in litteris elegantioribus haud obscurum nomen fuisse nouimus, industria vltus, diligentiae suae haud inanes fructus tulit. Sedecim autem annos quum haberet, orbatu patre, voluntate et consilio tam praceptorum, quam tutoris et propinquorum, repetita Viteberga nomen in Academia dedit, et ad iuris studia animu adplicuit, tempore sane opportunissimo, quod tunc Io. Balth. Wernherus, Christoph. Henricus de Berger, Io. Godofr. Krausius, Godofr. Lud. Menckenius, et nonnulli praeterea, vno tempore tanta nominis celebritate et famae legum scientiam profitebantur, quantam raros alibi consecutos cognoscas. Nullam enim hi iuris tam publici, quam priuati, partem quum praetermitterent, quin docendo et scribendo egregie studitam proponerent, et ad suam artem multa quoque ex aliis studiis, arte critica, historia, antiquitatis notitia, philosophia interiore,



riore, civili prudentia, institutorum Germaniae cognitione, impertirentur, accidit, ut non ipsorum magis lucubrationes valde aestimarentur, sed disciplinae etiam sectatores utiliores rei publicae haberentur. His totum se dederat Franckius, a quibus nobilius instrumentum artis peteret. Non tamen neglexit magistris alios in sapientiae aut humanitatis studiis, sed ex vnoquoque id accipere voluit, quod tam intelligentiae acuendae, quam virtuti instruendae seruiret. Itaque philosophiam, eloquentiam, et linguas excoluit, et a ieiunorum lucri aucupum praeiudicata opinione, quasi spes suas et fortunam his operati morentur, egregie et tempestiue sibi cauit. Vbi tamen ea curricula confecerat, in quibus ad maturorum studiorum metam tetenderat, vitae etiam ut disceret, a Temmichio, celebri ea aetate caussarum patrono et Academiae protonotario, ad forensis exercitationem toto biennio institutus, ab ordine demum iureconsultorum locum inter artis candidatos petiit, et, profectibus A. c1o 1o CXX. ei abunde adprobatis, iura ceteros honores, quodcumque lubuisset, petendi cum insigni eruditionis elogio impetrauit. Sed non erat animus tam se uero Themidos cultori, ambitione duce, ad vota festinare potius, quam, virtute comite, perducere. Anno igitur interiecto demum Dresenam se contulit, et in supremo regio iustitiae per Saxoniam consilio, dato idoneo pragmaticae scientiae specimine, obtinuit, ut patronis legitimis adscriberetur. Inde Vitebergam redux, actitandis integre atque strenue caussis duo rursus annos impendit, et virorum, quorum dignitas conspiciebatur, amicitias honoratus splendore etiam plures sibi fautores parauit, quum praefertim facilitate et elegantia morum obuias gratias collegisset. In hoc laudum decursu sic quum ferretur, ut tam suorum, quam aliorum, ominatione sedes in patria ipsi haud incommoda sponderi videretur, aliunde fortunae aura adspirauit, et ad mutanda consilia virum aerate et animo vigentem induxit. SERENISSIMVS ENIM ANHALTINVS PRINCEPS AC DOMINVS SERVESTINAE DITIONIS, IOANNES AVGVSTVS, cuius gloriosam memoriam sui pie recolunt, in vicina Academia requirendum duxerat, cui aliquot simul munera, ad quorum administrationem tantum fidei, quantum sollertiae et prudentiae opus esset, mandaret. Quibus id datum negotii fuerat, quum Franckium commendassent, Princeps clementissimus et Vitebergae iam dudum fautor, nihil adeo dubitauit eum accessere, ut hanc gratiam nouis etiam benefactis et pluribus honoribus cumulareret, et camerae et fisci procuratorem, coram tribunali regiminis patronum ordinarium, et praefecturae Muhlisingensis directorem iudiciarium faceret. Quo grauiora sic curae eius commissa fuerant, eo intentius operam dederat, ne sua industria utilitati Principis deesset. Nec tamen in ea re imitatus est aliorum artes, qui, per speciem exercendarum legum et administrandi iuris subsidia rei publicae parare aut imperantium opes augere simulantes, noua in

dies

310131



dies praedandi vocabula exquirunt: sed, obsecutus benigno Heri sui ingenio, vt sedulo cauerat, ne reditus incuria perirent, aut fraude interciperentur, ita pulcherrimum tamen Principis patrimonium in facultatibus eorum, qui parent, esse statuens, agricultura potius et mercatura fouendis, et prouentibus et uectigalibus diligenter custodiendis, vt valde probarentur, quae illo auctore et curatore constituebantur, adsequebatur. Eo referebantur eius consilia et actiones, quibus auctoritatem cum gratia obtinebat, non aulae carior, quam ciuibus, et Traiani procuratoribus similis, quorum ministeria sola integritate et sanctitate censebantur. Dici ergo vix potest, quot voluntates sibi hac continentia et tam puris moribus pepererit, quam fide sua et prudentia sibi proceres deuinxerit, et quam gratiofus ipsa in aula propter virtutes fuerit. Erat in hac Io. Christianus Waechterus, Ser. Principis a consiliis regiminis et sacri consistorii, non dignitate sua, quam meritis, conspectior, cuius vnicam e priore coniugio filiam Christianam Dorotheam Franckius tertio, ex quo Seruestam se contulerat, anno vxorem duxit. Fuit autem is vt communi sanguine iunctus patruo Waechterio, I. V. D. et Viro Ill., qui elegantioris iuris prudentiae studiis nobilitatus de palma tam gloriose, quam polite, cum Noodtio et Bynckershoeckio decertauit; ita doctrinae et eruditionis aemulus: quod idem Franckio, vt gener legeretur, profuit, ipsi quoque haud aliis facibus ad decus et lumen ingenii atque vitae incenso. Ex felici hoc coniugio quum suscepisset quinque filios et tres filias, illorum tres immatura mors abstulit, duo supersunt paternarum laudum et studiorum aemuli, Ioannes Fridericus, causarum patronus Seruestae aulicus, et Ioannes Sigismundus, Ziegeferanae praefecturae iurisdictionem actuarii nomine administrans. Filiarum natu maior Christiana Dorothea, Io. Christiani Sintenis, LL. AA. M. et ad D. Bartholomaei Seruestae Diaconi meritissimi per XXI. annos vxor, et decem liberorum mater, quorum quinque supersunt, interque hos Carolus Henricus, sacrarum litterarum Virebergae nunc cultor, studiis et moribus egregiis conspicitur, sed Kalendis Martiis hoc anno elata, vitae virtutumque memorando in omne aeuum exemplo vixit. Innuptae Magdalena Elisabeta et Sophia Dorothea eximio sexus decore formaeque et animi ornamentis parentum gloriam referunt. Ea rerum suarum prosperitate fruens, vir rei publicae natus, curis grauissimis impositorum ipsi munerum non impediabatur, quo minus domum pulcherrime formaret et regeret, et eodem hospitio honestatem et elegantiam reciperet. Inde gratiofus in Principis consilio et inter omnes spectatae fidei pluribus postmodum officiis est praepositus. Decem anni sunt, ex quo in collegium, quod fiscum dispensat, adfessor cooptatus, et vno anno post quinque simul praefectarum director constitutus, commissam sibi etiam de uectigalibus rerum promercalium iurisdictionem administravit. Ita certe se gesserat, vt non ad legem melior, quam ex natura sua, iudj.



iudicaretur, et SERENISSIMA PRINCEPS VIDVA IOANNA ELISABETA A. S. L. V. ipsum a consiliis sibi et cura putrimoni priuati esse iuberet. Legatione hinc Quedelingeburgensi ILLIVS mandatu sic perfunctus est, vt CLEMENTISSIMAE HERAE, quae sapientia et eruditione principale fastigium praeter vilitata exempla nuper exornauerat, exactissimam et pulcherrimam rationem reddiderit, et prudentia ac diligentia singulari EIVS iudicio responderit, causaque tam illustri dignam operam adprobauerit. Itaque a PRINCIPE ANHALTINO SERENISSIMO, qui nunc Seruestina ditione feliciter potitur, FRIDERICO AV. GVGVSTO consiliarius in aula ante hos octo annos adscitus tantum gratia floruit, quantum consilio valuit et meritis emineuit, veteris ministerii pari praemio et honore. Sed cuius virtuti occurrere fortuna nunquam potuit, tranquillitati et valetudini postremum infidias instruxit. Belli enim superioris tempestas cum per istas regiones formidolosissimis procellis exaestuasset, curarum et sollicitudinum agmina in prouectiorem Franckii aetatem incubuere, et valetudinem, laboribus dudum imminutam, oppresserunt. Morbo, quem haemorrhoidas vocant, a duodecim annis obnoxius fuerat. Genslerus quidem nostras, Med. D. et Senator Viteb., V. Ampliffi, qui olim sororem Franckii huius Ioannam Christinam in matrimonio habuerat, initio prosperam medelam malo adhibuerat, sed, redeunte eo subinde, acres colicae dolores crebro successerant. Vbi vero belli tempore moeror animi ex frequentibus molestiis illud exasperauerant, induratum scirrho hepar medicamenta postremum respuit, vt in cachexiam plane adfectio desineret. Hinc frustra Schulzius, M. D. V. Cl. et experientiffi, consumpsit curationis operam, et adhibitis subinde temporariis fomentis dolores solum aegri diu cubantis leniuit, donec beatum spiritum Christo liberatori, rite expiato animo, placide absuntus reddidit, atque non suis minus, quam aliis meritorum fautoribus, ingens desiderium rellequit, culus vitae dux virtus, gloria mortis comes fuerat!

Hinc SVORVM, et PROPINQVORVM, in hac praesertim ACADEMIA superstitem, cura et impendio quum haec scriptio publicetur, non dubitamus gratam fore bonam mentem et studiorum honorem amantibus decorum, sapientia, litteris, fide, et meritis, partorum, commemorationem, quae posteros olim e NOMO CLARISSIMA ad similes laudum vias ineundas sollicitare possit, et huius exempli veluti imagine exposita gentilitiae famae seruiat. P. P. Vitebergae a. d. VII. Kal. Febr.

A. S. R. 1715 CCLIV.



Zb 1923. F.K.  
1018

ULB Halle 3  
007 691 203









RECTORE  
 ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
 MAGNIFICO  
**DANIELE**  
**WILHELMO**  
**TRILLERO D.**

SIMO PRINCIPI REGIO  
 ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS  
 FESSORE MEDICINAE PRIMARIO  
 STRIS ACADEMIAE BONONIENSIS  
 SODALI

**MEMORIA**  
**LI SIGISMUNDI**  
**RANCKII**

VITEBERGA SAXONIS  
 VIRI QVONDAM ILL. SERENISSIMI  
 ALT. SERVEST. A CONSILIIIS AVLAE  
 CAMERA COMMISSAR. VECTIGAL.  
 MERCAL. ET QVINQVE PRAEFE-  
 CTVRARVM DIRECTORIS

XIII. DEC. A. R. S. CIOIOCLXIII.  
 ATQVE OBITU E VIVIS SVBLATI  
**FAMILIAE**  
 ORVM PRAESERTIM VITEBERGAE  
 SVPERSTITVM  
 RA ET PIETATE SERVATA



**VITEBERGAE**  
 EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
 ACADEMIAE A TYPIS.

